SELECTAE PROPOSITIONES DE PECCATIS EORUMQUE MERITIS ET REMISSIONE JUXTA...

Lelio Falconieri

I. PRaeclare monuit S. Auguſtinus, cum de peccatis agitur, accurate diſcernendum eſſe inter id, quod tantummodo peccatum eſt; & id, quod tantummodo eſt poena peccati; & id denique, quod ſimul eſt utrumque, & peccatum ſcilicet, & poena peccati.

II. Peccatum itaque, quod tantummodo peccatum eſt, recte definitur ab eodem S. Doctore, quod ſit voluntas admittendi, vel retinendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere. Neque enim audiendi ſunt, qui, ut ſe ipſos excuſent, vel Fato ſe ad peccandum queruntur impelli: vel malunt Fortunae imputare quod peccant: vel totum quod male faciunt in Diabolum referunt: vel inſanientes cum Manichaeis tunc peccare homines aſſerunt, quando natura mali praevalet naturae Dei: vel tandem cum Calvino Deum praedefinitione ſua, ſuoque abſoluto decreto cauſſam eſſe effectricem peccatorum blaſphemant.

III. Peccatum autem, quod tantummodo poena peccati est, dicitur, quod de peccato ortum ad peccatum inclinat; quamvis, nisi ei consentiatur, non peccetur. Quare jure & merito damnati sunt articuli 48., 49., & 72. Michaelis Baji, in quibus enuntiatur, prava desideria, & motus pravos, etiamsi homine invito, iisque minime consentiente excitentur, veram esse legis transgressionem.

IV. Absit vero, ut hinc quispiam inferat, concupiscentiam non esse malam, eamque in homine innocente collocet. Blasphemia fuit haec Pelagianorum: quam sane renovasse visus est sive qui asseruit, factam illam effrenem propter primi hominis peccatum; quasi ante peccatum in eodem fuerit, licet habituali freno repressa: sive qui docuit, Adamum felici elevationis suae supernaturalis tempore omni concupiscentia fuisse superiorem; quasi non potius nullam habuerit, cum qua certaret. Vitium itaque ipsa est, quod per magnum illud Adae peccatum inolevit; quod vitium in renatis, soluto ejus reatu, manet ad certamen. Quapropter turpissime errarunt, qui illius desideriis in quibusdam casibus obedire, nisi positiva Lege Dei vetitum fuisset, malum non fore, imo saepe bonum, & aliquando obligatorium sub lethali, asserere non erubuerunt propositionibus 48., & 49. inter LXV. damnatas decreto Innocentii XI.

V. Inter peccata, quae simul peccatum sunt, & poena peccati, primo se se offert peccatum originale, quod licet per contagium haereat, non per arbitrium, ut verbis utamur S. Augustini lib. 4. Oper. imperf. cap. 98., non tamen sine libera voluntate factum est, ut subdit cap. 100. ejusdem libri S. Doctor. Hujus peccati transfusionem in Adae posteros, etiam eos, qui de parentibus fidelibus nascuntur, luculentissime demonstrant, praeter alia bene multa cum veteris;

teris, tum novi teſtamenti loca, quae leguntur apud Apoſtolum in capite V. Epiſtolae ad Romanos a verſiculo 12., & deinceps: quem locum, utpote a Sacroſancta Tridentina Synodo ſeſſ. V. can. IV. ſelectum ad ſtabiliendam contra veteres & novos haereticos fidem originalis peccati, & a falſis quorumdam recentiorum interpretationibus, & a cavillis Pelagianorum ac Socinianorum vindicamus. Peccatum hoc; quod origine unum eſt, ineſt propagatione unicuique proprium; atque non eſt mera degradatio, ſeu privatio dumtaxat originalis juſtitiae, & privilegiorum, quae homini innocenti fuerant conceſſa, ſed praeterea reddit animam veri peccati ſorde coinquinatam.

VI. Ad hoc tertium genus peccatorum illa etiam revocantur, quae ignorantiae peccata conſueverunt appellari; quando quiſque bene fieri putat, quod male fit. Approbare enim falſa pro veris, ut erret invitus, non eſt natura inſtituti hominis, ſed poena damnati: & tamen niſi haec peccata imputaret Deus juſtus, non ea ſibi dimitti poſceret homo fidelis Pſal. 24. 7. Quae quidem de iis intelligenda ſunt, qui aut ſcire nolunt veritatem, aut negligunt quaerere, quod ignorant; non vero de iis, qui tanquam ſimpliciter neſciunt. Ignorantia quippe, & error, ſi ſit invincibilis, etiamſi fuerit juris naturalis, excuſat a peccato; non enim peccatur in eo, quod caveri non poteſt: Quare jure & merito Alexander VIII. damnavit propoſitionem illam. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, haec in ſtatu naturae lapſae operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali*. At vero ſi ignorantia, aut error vincibilis ſit, minime excuſat a peccati reatu: cum ad hunc contrahendum minime requiratur, quod voluntas ſupremi Legislatoris nota ſit transgredienti, ut nuperus author dogmatizavit; quando & ſervus, qui non cognovit

vit voluntatem Domini ſui, & fecit digna plagis, vapulabit, teſte Chriſto Domino Lucae 12. 48., licet paucis prae ſervo, qui ſcit voluntatem Domini ſui. Quin imo in iis, qui, ut loquitur Angelicus Praeceptor, ſubeunt ignorantiae damnum propter libertatem peccandi, gravitatem culpae, quam minuit ex una parte ignorantia, adauget ex alia parte perverſitas voluntatis.

VII. Peccata haec ignorantiae dicuntur etiam peccata neceſſitatis: neceſſe eſt enim ut peccet, qui neſciendo quod facere debet, quod non debet facit; ut ſapienter monuit S. Auguſtinus lib. 1. oper. imperf. cap. 105. In quo peccatorum genere etſi non ſit voluntas peccati, voluntas tamen facti non deeſt. Aliter etiam appellantur peccata neceſſitatis: illa nimirum, quae aut fiunt ex cupiditatum vehementia; aut ex vetuſta prava conſuetudine profluunt; aut cauſſa devitandae moleſtiae alicujus, vel doloris, vel mortis committuntur; aut ab obduratis & excaecatis in ipſa ſua obduratione & excaecatione patrantur. Et tamen, quoniam verum eſt, hominem in his etiam peccatis voluntate ſua retineri, & a peccato in peccatum praecipitari, non eſt in talibus peccandi neceſſitatibus impunitatis ſecuritas, ſed juſtiſſima imputatio ad culpam.

VIII. Neque ad hoc, ut aliqua actio homini imputetur, requiritur, ut animum operantis ſubeat ſancta cogitatio, per quam advertat ad peccati malitiam, vel de Deo actu cogitet: Unde jure omni ab Alexandro VIII. damnata eſt aſſertio Peccati Philoſophici: Ea enim, prout ponit peccatum hoc in eo, qui Deum invincibiliter ignorat, commentum plane adſtruit, non enim invincibilis ignorantia datur quoad exiſtentiam Dei, ſicut nec datur quoad principia juris naturalis, & proximas, quae ex illis deducuntur, concluſiones, ſed ſolum

lum quoad remotas possibilis ea est; prout vero illa assertio ponit hujusmodi peccatum in eo, qui de Deo actu non cogitat, erronea prorsus est.

IX. Non autem esset peccatum, nisi de libero peccantis descenderet arbitrio. Huic porro non sola violentia repugnat, sed etiam necessitas, quae sit determinatio ad unum. Erravit proinde Jansenius, cum statuit, ad merendum & demerendum sufficere libertatem a coactione, minime vero requiri libertatem a necessitate.

X. Cum hoc libero arbitrio voluntatis creatus est primus homo: qui etiam sic conditus fuit, ut & peccare posset, & non peccare. Perperam vero inde Pelagiani Libertatem in possibilitate peccandi & abstinendi a peccato constituebant; cum non aliam indifferentiam Libertatis natura postulet, nisi eam, quae *contradictionis* consuevit appellari: quam quidem non mere passivam esse, aut in mera suspensione cujuscumque actus positam, sed vere & proprie activam adversus Lutheranos & Calvinistas defendimus.

XI. Neque vero quia hominem cum libero arbitrio conditum profitemur, putandum est negari in Deo Praescientiam futurorum. Quin imo adversus Tullium demonstramus, & Deum omnia certissime scire antequam fiant, & libera voluntate nos facere quidquid a nobis nonnisi volentibus fieri sentimus & novimus; Nullam quippe liberis actionibus creaturarum necessitatem imponit Divina Praescientia.

XII. Inconcussam autem tutissimamque SS. Augustini & Thomae Aquinatis doctrinam tenentes eam explicandae humanae libertatis cum Divina Praescientia concordiae rationem penitus rejicimus, qua putatur, ideo cum certitudine Praescientiae Dei libertatem humani conciliari arbitrii, inquantum actiones ab eodem profluentes vel ab eo dependentes idcir-

co a Deo cognoſcantur hoc vel illo modo futurae, quia ita pro libertate arbitrii futurae ſint. Profitemur imo quod univerſas creaturas ſuas ſpirituales & corporales, non quia ſunt, ideo novit Deus, ſed eaedem ideo ſunt, quia novit: quod idem de bonis earumdem creaturarum operibus aſſerimus: atque inde concordiam derivamus Divinae Praeſcientiae, & humanae libertatis, quia Ille, cujus Praeſcientia non fallitur, liberam voluntatem creaturae ſuae adfuturam eſſe praeſcivit.

XIII. Non abſimili ratione oſtendimus cum humanarum libertate actionum optime conciliari efficaciſſimae Voluntatis Divinae praedeterminantia decreta.

XIV. Quoniam autem, obſervante S. Auguſtino initio libri de Gratia & Libero Arbitrio, quidam ſic Gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium; quidam vero, quando Gratia defenditur, negari exiſtimant liberum hominis arbitrium: ut in hac quaeſtione ad diſcernendum difficillima tuto nec ſine ordine procedamus, animadvertentes adverſus libertatem arbitrii urgeri argumenta, alia quidem ex neceſſitate adjutorii Divinae per Jeſum Chriſtum Gratiae ad omne opus bonum, ejuſdemque adjutorii gratuita prorſus praeparatione & collatione; alia vero ex ejuſdem actualis Gratiae efficacia, omnipotentiſſimaque quam habet Deus inclinandorum cordium poteſtate; alia denique ex modo, quo eadem adjutorii Gratiae efficacia explicatur; Principio ſtatuimus, ex aſſerta juxta Scripturas cum Eccleſia Catholica a S. Auguſtino neceſſitate Gratiae ad omne opus bonum in hoc infirmitatis ſtatu, minime ſequi, non eſſe in homine lapſo libertatem arbitrii.

XV. Aſſerimus deinde cum dogmate de arbitrii libertate minime pugnare, quod efficax ſit hujuſmodi adjutorium, quo indigemus ad declinandum a malo, & ad bonum quodlibet

libet ad ſalutem pertinens vitae aeternae ſive inchoandum, ſive perficiendum; etiamſi hujuſmodi efficacia juxta Scripturas, & Patres, ac praecipue Auguſtinum eidem Gratiae propugnetur intrinſeca.

XVI. Demonſtramus pariter, perperam Novatores inferre, non extare in nobis liberum voluntatis arbitrium, ſed titulum eſſe ſine re, noſtramque voluntatem ſe habere tanquam inanime quoddam, quod nihil proprie agat, ex quo propter efficacem Divinae Gratiae operationem in nobis omnia opera noſtra Deo in ſacris litteris paſſim tribuantur.

XVII. Denique propugnamus, liberum hominis arbitrium ſub Gratia ab intrinſeco efficaci perſiſtere, licet haec intrinſeca efficacia ſtatuatur in ſancta delectatione relative majori prae cupiditate vitioſa.

XVIII. His ita conſtitutis de concordia Libertatis humanae cum Praeſcientia, Decretis, & Auxiliis Gratiae Dei, ipſum voluntatis arbitrium liberum a neceſſitate in homine lapſo, infirmum licet & attenuatum viribus, manere credimus, profitemur, defendimus.

XIX. Adamum enim peccando & ſibi & nobis liberum perdidiſſe arbitrium, deliramentum eſt Novatorum. Et fruſtra ii praeſidium ſibi, ſuoque errori quaerunt vel in quibuſdam Divinorum eloquiorum teſtimoniis, quorum ſenſum diſtortis interpretationibus conantur, ſed perperam, depravare, vel in libris Magni Auguſtini, quem ab impacta calumnia nedum adverſus haereticos liberi arbitrii oſores, verum etiam adverſus tum perſonatum Phereponum, cum alios, qui catholico nomine gloriantes S. Doctori obloquuntur, tanquam modum exceſſerit, a San. memoriae Coeleſtino I. edocti, Talibus reſiſtendum.

XX. Propter primi hominis peccatum ingreſſa in mundum

dum Mors, etiam corporis, in omnes ex vitiata ſtirpe progenitos tanquam poena pertranſiit: atque inde etiam grave illud extitit miſeriarum jugum ſuper filios Adae a die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturae.

XXI. Quin etiam morientibus ante perceptam regenerationem parvulis fruſtra promittitur aut vita aeterna, aut inter damnationem Regnumque coelorum, quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quaſi medius locus.

XXII. Quaecumque imo anima ſine Gratia Mediatoris, & Sacramento ejus in qualibet corporis aetate de corpore exierit in poena futura eſt, & in ultimo judicio corpus recipiet ad poenam, triſtitia ob ſeparationem a Deo, atque excluſionem a Regno ejus, & combuſtione aeterni ignis crucianda; licet mitiſſime in comparatione adultorum.

XXIII. Sicut igitur parvulus, qui baptizatur, gratuita Dei bonitate ſalvatur: ita non aliquo dicendus eſt Dei beneficio futurae impietati praereptus, qui abſque juſtificationis gratia mortuus impiorum eſt conſortio deputatus, ut in Synodica epiſtola profeſſi ſunt Africani Epiſcopi pro Catholicae fidei confeſſione in Sardinia exules; tam longe antea, quam oriretur, praefocantes illorum errorem, qui parvulorum hujuſmodi mortem ante ſuſceptam originalis noxae expiationem, ex quodam affectu Divinae erga ipſos miſericordiae, aut etiam ob pietatem parentum quodammodo remunerandam docuerunt obvenire, Deo ſcilicet ob merita Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti non permittente peccata, quae praeviderat, ut inſigni, quemadmodum obſervat S. Proſper, abſurditate dicitur, futura illorum infantium, ſi vitam illis per miraculum extendiſſet uſque ad adultam aetatem.

XXIV. Circumciſionem Abrahae imperatam tanquam merum ſignaculum ad diſcernendum a Gentibus populum Dei plurium

rium sententia est. Sed huic omnino praeferenda illa, quam cum aliis Patribus docuit S. Augustinus, & amplexus est Angelicus Praeceptor, cuique cum gravissimis Theologis subscripsit Felic. Recordat. Benedictus XIV. de Festis D. N. J. C.; in remedium scilicet originalis peccati institutum potissimum, & praeceptum signaculum illud justitiae fidei.

XXV. Ante imperatam autem Abrahae circumcisionem aliquod aliud fuisse credendum est sensibile signum protestativum fidei in Mediatorem venturum, ut ab originali peccato parvuli mundarentur; prout etiam, post latam circumcisionis legem, tale aliquid hujusmodi fuit & pro foeminis, & pro caeteris illis, qui non ad genus quidem, sed ad fidem Abrahae pertinebant. Eadem quippe fides Mediatoris salvos faciebat antiquos pusillos cum magnis, non vero lex sive naturalis, sive scripta; ut contra apertissima scripturarum testimonia nonnulli inducere conati sunt. Catholicum quippe dogma est, quod credimus, nullum hominum sive majoris, sive parvulae quamlibet & recentis aetatis, liberari a contagione mortis antiquae, & obligatione peccati, quod prima nativitate contraxit, nisi per unum Mediatorem Dei & hominum Jesum Christum.

XXVI. Non posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, non minus impie, quam falso docuit Jovinianus. Ab eo hausisse videtur haereticum illud suum dogma Calvinus, quod in lib. 3. Instit. cap. 2. exposuit; Justificationis scilicet proprietatem esse indemutabilem persistentiam; adeo ut qui semel justificati fuerint a justitiae statu excidere nequaquam possint. Itaque adversus hanc absurdissimam novitatem propugnamus, non solos electos; sed & plures ex reproborum numero vere ac proprie justificari, & evadere filios, atque amicos Dei, connumerari inter membra viva

Cor-

Corporis Chriſti, fieri templum, atque habitaculum Spiritus Sancti; cujuſmodi ſunt in primis omnes, qui vel in infantili aetate, vel ſine fictione in adultis annis Baptiſmi Sacramentum ſuſceperunt.

XXVII. Deinde vero aſſerimus, poſſe utique quemlibet adultum hominem juſtificatum excidere a ſtatu juſtitiae, etiam finaliter; ita ſcilicet, ut in praevaricatione, qua praevaricatus fuerit, & in peccato, quod peccaverit, in ipſo moriatur.

XXVIII. Denique affirmamus, plures ex Juſtificatis reipſa aliquando a ſtatu Gratiae ſanctificantis excidere: quoſdam etiam finaliter; poſtremi hi ſunt, qui cum ad multitudinem quidem vocatorum, non etiam ad paucitatem electorum pertineant, juſto Dei judicio non recipiunt magnum finalis perſeverantiae donum.

XXIX. In eo etiam turpiſſime errarunt Joviniániſtae poſt Stoicos, quod cum illis peccata omnia eſſe paria docuerint. Joviniániſtis conſentire viſus eſt S. Auguſtino Nectarius ille, quem idem S. Doctor confutat in epiſtola 104.; alias 254. Ab horum ſententia parum diſcrepat error Calvini & Lutheri, quem renovavit articulo 20. inter LXXVI. a S. Pio V. aequiſſime proſcriptos Michael Bajus, omnia ſcilicet peccata mereri poenam aeternam. Ab horum omnium perverſis opinionibus diſtat catholica fides, quae & negat omnia vitia ac peccata eſſe connexa, ut omnia ſint, ubi unum fuerit, aut nulla ſint, ubi unum non fuerit; quod eſt praecipuum fundamentum aſſertae a Stoicis, atque haereticis aequalitatis peccatorum: & docet peccata uſque adeo non eſſe paria, ut & inter ipſa, quae lethalia appellantur, aliud ſit alio gravius; & praeter ea aliqua ſint levia, quae uſque ad contemptum Dei minime pertingant, amicitiam ejus non diſſolvant, non exſpolient animam gratiam juſtificante, neque mereantur aeternum

ſup-

fupplicium: quae peccata nomine ligni, foeni, ftipulae, quae quis fuperaedificat fuper fundamentum Chriftum, defignari arbitramur ab Apoftolo Paulo I. Cor. 3.

XXX. Sine hujufmodi levibus peccatis juftorum quorumlibet vita hîc non ducitur, abfque fpecialiffimo Gratiae privilegio. Hoc autem extraordinarium Gratiae beneficium Beatiffimae Virgini Deiparae fuiffe conceffum tenet Ecclefia, ut habemus ex Tridentino Concilio feff. 6. can. 23. Alteri cuipiam purae Creaturae collatum, non conftat.

XXXI. Hinc vero facile intelligitur, quam defipuerint Quietiftae, rati hominem in hac vita fecundum legem communem eum perfectionis gradum acquirere poffe, ut ultra nec in peccata prolabi queat, nec in virtutibus proficere: quem phanaticorum hominum errorem jam pridem in Beguardis ab Oecumenico concilio Viennenfi reprobatum, ac redivivum in Molinofio profcriptum ab Innocentio XII. multiplici argumentorum genere confutamus.

XXXII. Graviffime autem in animarum perniciem erraverunt, qui omnem lapfis poft Baptifmum obtinendae veniae fpem praeciderunt. Cum imo ad lethalium praefertim criminum expiationem Poenitentiae Sacramentum inftituerit Chriftus, pleniffimamque Ecclefiae fuae poteftatem contulerit peccata quaecumque, ut ut graviffima, fi a reo Ecclefiae eidem Sacramentali Confeffione fubjiciantur, cum fupernaturali dolore animi per fidem & initialem caritatem concepto, cum fpe veniae, ac fincero emendationis, & fatisfactionis propofito, Sacerdotum minifterio dimittendi. Quod fi Sacramentalem peccatorum confeffionem articulus neceffitatis excludat, perfecta contritio fufficiens erit ad obtinendam peccatorum remiffionem, quippe quae eam obtinet cum folo voto fatisfaciendi praecepto a Chrifto Domino impofito confeffionis peccatorum.

XXXIII. Duo

XXXIII. Duo ceteroquin ex lethalibus peccatis nobis proponuntur in ſacris litteris tanquam irremiſſibilia; Peccatum videlicet in Spiritum Sanctum Matth. XII., 32., & peccatum ad mortem I. Joan. V. 16. Duo haec peccata nos unum idemque eſſe arbitramur; & cum S. Auguſtino in Expoſitione inchoata Epiſtolae ad Romanos n. 14., in Epiſtola 185. ad Bonifacium n. 49., & in Lib. de Corrept. & Grat. n. 35., eſſe dicimus, Duritiam cordis uſque ad finem hujus vitae, qua homo recuſat in unitate corporis Chriſti, quod vivificat Spiritus Sanctus, remiſſionem accipere peccatorum.

XXXIV. Hoc ergo peccatum finalis impoenitentiae neque in altero ſaeculo remittetur. Siquidem decedentibus ex hac vita cum reatu lethalis peccati poena debetur aeterna. Neque enim audiendi ſunt, aut qui putant, cum ad judicium ventum fuerit, Miſericordiam eſſe ſuperaturam, ut nemo damnetur, ſed omnes imo ſanctorum precibus donentur: aut qui omnes homines citius, vel tardius liberandos, atque ad aeternam felicitatem perducendos exiſtimant; quos omnes egregie refellit S. Auguſtinus lib. XXI. de Civitate Dei cap. 17., & 18.: Quam miſericordiam ad Daemones quoque extenbant, novo plane errore, Origeniſtae.

XXXV. Poena haec peccatorum non ſolum erit excluſio a Regno Dei, ejuſque beatifica viſione, graviſſimo dolore, ac moerore animum complens; ſed etiam poena ignis, & vermis. Hanc vermis poenam relate ad ſpiritum dicimus eſſe ſpiritus ejuſdem ſero, atque infructuoſe poenitentis dolorem; vermis etiam poenam relate ad corpus futuram eſſe peculiarem in eodem corpore cruciatum aſſerimus; qualis autem futurus ſit, definire non audemus. Poenam etiam ignis & ſpiritus eſſe, & corporis futuram non dubitamus.

XXXVI. Ignem hujuſmodi corporeum eſſe aſſerimus. Ad expli-

explicandum vero , quomodo ſpiritualis ſubſtantia corporeis ignibus poſſit torqueri, ceteris aliis ſententiam S. Auguſtini lib. XXI. de Civit. Dei cap. 10. praeferendam exiſtimamus , aſſerentes , ab igne corporali cruciari ſpiritus, quia licet miris , tamen veris modis, ſpiritus iidem adhaerebunt corporeis ignibus, non ipſis impertiendo vitam, ſed ab ipſis ſumendo poenam.

XXXVII. Neque vero illud in judicio Dei vacabit , quod in ipſa impietate damnabili magis alius alio , minuſve peccaverit ; ſed idcirco in ipſa damnatione aeterna tolerabilius erit uni, quam alteri. Reprobi enim pro criminum gravitate utique puniendi, non inaequalem modo poenam ſenſus patientur; ſed & inaequalem experientur poenam ex carentia viſionis beatificae.

XXXVIII. Sicuti vero animabus plene purgatis non uſque ad extremum differtur judicii diem ; ſed immediate beatificae viſionis retribuitur merces : ita reprobis immediate pariter ſempiterna infligitur poena.

XXXIX. Denique adverſus Novatores medium quemdam locum in hoc ſaeculorum decurſu uſque ad mundi finem dari propugnamus, in quem animae, quae hinc deceſſerunt gratia ſantificante exornatae, non tamen vel ſine aliqua labe levis peccati , vel ſine aliquo poenae temporalis reatu , recipiantur igne, & beatificae viſionis dilatione tandiu cruciandae , quoaduſque reddiderint noviſſimum quadrantem : quem locum idcirco Purgatorium merito appellamus.

XL. Hujuſmodi porro animas ſacrificiis, orationibus , aliiſque piis operibus a viventibus fidelibus juvari poſſe : Indulgentiarum item theſauro, quem in Eccleſia eſſe inaniter Novatores inficiantur, poſſe eiſdem ſubveniri , Catholica fide edocemur .

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. Jordanus Patriarch. Antioch. Vi

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apost. Magister.